



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1645

Seculum tertium ab Anno 200. ad 300.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)

SANCTUS Irenæus Episcopus & Martyr, Commodi Imperatore & Eleuthero vixit: & tempore Seueri Imperatoris martyrium consummauit, scripsit multa; sed ad nos non peruenerunt, nisi quinque libri aduersus Valentinum, qui pleni sunt doctrina, & pietate. Ambigunt nonnulli, Græcè an Latine scripserit; quoniam non inueniuntur eius libri, nisi Latine conscripti: & tamen ipse natione Græcus erat, & S. Polycarpi discipulus, & phrasis eius Græcismum redolet. Sanctus Hieronymus libro II. in Ezechielem explanans c. 36. Ezechielis, aperte Irenæum inter Scriptores Græcos numerat: & in lib. de Scripturis Ecclesiasticis Tertulliano, dicit, Tertullianum esse primum Latinorum post Apollonium, & Victorem, quorum vterque Irenæo posterior est.

Seculum tertium ab Anno 200. ad 300.

De Tertulliano. 230.

TERTULLIANUS tempore Seueri Imperatoris floruit, ut ipse testatur lib. I. in Marcionem, in Apologético cap. 4. & alibi. Initio Catholicus ardentissimi zeli, deinde in Montani hæresim prolapsus contra Ecclesiam non pauca scripsit. Ergo opera Tertulliani indubitata sunt.

De patientia, lib. I.	De carne Christi,	I.
De Resurrectione carnis,		I.
De præscriptionibus aduersus hæreticos,		I.
Aduersus Iudæos, I.	Aduersus Marcionem,	I.
Aduersus Valentinianos,		I.
Aduersus Hermogenem, I.	Aduersus Praxeam,	I.
De corona Militis, I.	Ad Martyres,	I.
De pœnitentia, I.	De Virginibus velandis,	I.
De habitu muliebri, I.	De cultu fœminarum,	I.
Ad uxorem suam,		2.
† De fuga in persecutione,		I.
Ad Scapulam, I.	De testimonio animæ,	I.
De Anima, I.	† De exhortatione Castitatis,	I.

† De

Ad anno Dom. 200. ad 300.

51

† De Monogamia, . De Baptismo, I.
De Pallio, I. De Idololatria, I. † De Pudicitia, I.
† De Ieiunio aduersus Psychicos, I.
Scorpiacum contra Gnosticos, I.
De Oratone, I. De Spectaculis, I.
Apologeticus aduersus Gentes, I.
Ex his libris S. Hieronymus in lib. de Script. Eccles. di-
cit, scriptos esse contra Ecclesiam à Tertulliano iam tum
hæretico, Librum de fuga in persecutione, De exhorta-
tione Castitatis, De Monogamia, De Pudicitia, De Iei-
unio, quibus crucem addidimus. Librum de Oratione
scribit S. Hilarius in Can. 5. Matthæi esse volumen apertis-
simum, sed consequentem errorem auctoris detraxisse
scriptis probabilibus auctoritatem.

Opera Tertulliani dubia, vel supposititia.

De Trinitate, lib. I.

De cibis Iudaicis, Epistola.

De libro de Trinitate dissentiunt sanctus Hierony-
mus, & Ruffinus: hic enim in Apologia pro Origene
scribit, librum de Trinitate Tertulliani ab hæreticis
cum operibus sancti Cypriani coniunctum fuisse, vel fal-
lerent incautos. Ille autem in 2. libro aduersus Ruffinum
contra asserit, librum illum de Trinitate, non esse Ter-
tulliani, sed Nouatiani.

Idem etiam S. Hieronymus in lib. de Scriptor. Eccles.
in Nouatiano, scribit Nouatianum scripsisse grande vo-
lumen de Trinitate quasi Epitomen operis Tertulliani.
Vbi aperte significat, Tertullianum quoque scripsisse de
Trinitate, cuius libri epitomen Nouatianus ediderit.
Sed quicquid de hac re sit, dubitari non posse existimo,
quin liber de Trinitate, qui nunc extat inter opera Ter-
tulliani, Tertulliani non sit: nam in eo libro refutatur
nominatim Sabelliana hæresis. Sabellius autem post
tempora Tertulliani apparuit; & in tempora Nouatiani
incidit, vt notum est ex epistola Dionysii Alexandrini
apud Eusebium lib. 7. histor. cap. 5. Adde, quod stylus (vt

etiam S. Hieronymus annotauit) aperte clamar, librum illum Tertulliani non esse.

Liber, siue epistola de cibis Iudaicis, non videtur sty- lum habere Tertulliani: & videtur ab aliquo Episcopo propriæ plebi transmissus. Tertullianus autem Episcopus non fuit. Interim tamen nihil definitio, sed causas dubitandi in medium pono. Illud postremo addendum videtur, Tertulliani libros cum iudicio esse legendos, non eos tantum, quos S. Hieronymo teste, contra Ecclesiam proprie scripsit, sed etiam librum aduersus Praxeam, librum de Anima, librum aduersus Hermogenem, librum de Carné Christi, & librum de Pœnitentia. In his enim propositiones non pauca, vel erroneæ vel certe suspectæ occurrunt.

De Clemente Alexandrino. 204.

Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, vir doctissimus, Panteni discipulus, & Origenis magister, vixit sub Seuero Imp. vt ipse testatur lib. 1. Stromatum. Ibi enim deducit tempora Imperatorum vsque ad obitum Commodi, cui Seuerus successit, post breuissimum Imperium Pertinacis, & Iuliani. Multa scripsit, quorum meminerunt Eusebius lib. 5. hist. cap. 11. & sanctus Hieronymus de Script. Ecclesiast. Nunc vero hæc opera supersunt.

Stromatum libri octo.

Pædagogii libri tres.

Oratio exhortatoria ad Gentes.

Neque de his dubitatio vlla est. Meminit Cassiodor, in libro 1. diuinarum institutionum explanationis Clementis Alexandrini in Epistolas Canonicas, quæ an ea sit, quæ in Bibliotheca sanctorum Patrum inuenitur, non facile iudicare possum.

Non desunt in hoc insigni auctore sententiæ aliquæ, quæ errorem sapiunt, quas in libris nostris Controuersiarum notauimus, & ob quas Gelasius Papa, in Concilio quodam Romano, Clementis huius opuscula inter apocrypha reuulit. Vtrum autem sententiæ illæ ab hære-

ficis insertæ sint, vt aliqui pie credunt, an auctori more humano exciderint, ignoramus.

De Minutio Felice. 206.

Minutius Felix Tertulliani æqualis, scripsit Dialogum inter Christianum Octauium, & Ethnicum Cæcilium, qui Dialogus, Octauius inscribitur; atq; inde factum est, cum auctor ignoraretur, vt septem libris Arnobii contra Gentes, hic veluti octauus liber adiungeretur. Sed reuera non est octauus liber Arnobii, sed Octauus Minutii Felicis, Causidici Romani insignis, vt S. Hieronymus testatur in lib. de Script. Eccles.

De S. Hippolyto Episcopo, & Martyre. 220.

Sanctus Hippolytus Episcopus Portuenfis, & Martyr, Clementis Alexandrini discipulus, sub Alexandro Seuero martyrium consummauit.

Multa scripsit, quæ enumerantur ab Eusebio libro. 6. histor. cap. 16. & à S. Hieronymo in lib. de Scriptorib. Ecclesiast. Nunc solum extant excerpta quædam ex libris sancti Hippolyti de Theologia, & Incarnatione, apud Henricum Canisium tomo 3. antiquæ lectionis: nec non in Bibliotheca Sanctorum Patrum, Oratio de consummatione mundi, de Antichristo, & secundo aduentu Domini nostri Iesu Christi.

Consulat Lector notationes Card. Baronii ad Martyrologium die 22. Augusti.

De Iulio Africano. 222.

Iulius Africanus paulo senior Origene fuisse videtur, cum in epistola ad Origenem, eum filium appellet. Scripsit librum de temporibus ab origine mundi vsque ad Macrinum Imperatorem, sub quo ipse viuebat, & ad M. Antoninum Heliogabalum legationem suscepit, vt S. Hieronymus testatur in lib. de Scriptorib. Eccles. Sed hi libri perierunt, cum tamen extarent tempore Photii, vt ipse in Bibliotheca scribit. Extrat hoc tempore solum Epistola ad Origenem de historia Susannæ, quam fabulosam

Iosam esse contendit: cui respondit Origenes, veram illam esse demonstrans: Epistola Iulii Africani extat in 2. tomo operum Origenis.

De Origene. 226.

Origenes Adamantius, Clementis Alexandrini discipulus, vixit vsque ad tempora Galli, & Volufiani Imp. teste sancto Hieronymo in libro de Scriptoribus Ecclesiast. Quamuis autem doctissimus fuerit, deceptus tamen ex Platonis Philosophia in multos errores incidit. Sanctus Basilius in libro de Spiritu sancto, cap. 10. dicit, Origenem non habuisse sanas de Spiritu sancto opiniones. Sanctus Epiphanius in libris de hæresibus ponit Origenem in numero aliorum hæreticorum. Sanctus Hieronymus vertit in Latinum idioma libros Origenis Periarchon, vt ostenderet errores plurimos, quibus libri illi scaterent. Denique in quinta Synodo generali, collatione 8. canon. 1. dicitur anathema Origeni, & scriptis eius, sicut Ario, Eunomio, Macedonio, Nestorio, & Eutycheri: & in libro, qui inscribitur, Pratum spirituale, c. 26. in quadam reuelatione visus est Origenes cum Ario, aliisque hæreticis in gehennæ ignibus torqueri. Citatur autem Pratum spirituale in septima Synodo generali, ne quis eum librum spernendum censeat. Hæc præmittenda existimaui propter eos, qui Origenem defendere, vel excusare conantur, quales fuerunt olim Eusebius in lib. 6 histor. Ecclesiast. & in apologia pro Origene, quam nomine Pamphili Martyris edidit: & qui Eusebium imitatus est, Ruffinus, qui etiam Apologiam pro eodem Origene scripsit. Deinde paulo ante nostram ætatem eandem defensionem suscepit Ioannes Picus; & nostro tempore Gilbertus Genebrardus.

Opera Origenis ascendunt ad sena millia librorum, teste Epiphanio in hæresi Origenis, quæ est ordine 64. Sed plurima perierunt. Quæ nunc extant, in duos tomos distributa hæc sunt:

Primi

Primi Tomi.

In Genesim homiliae 17.	In Exodum homiliae	13°
In Leuiticum homil. 16,	In Numeros homil.	28°
In librum Iosue homil.		26°
In librum Iudicum homil.		9°
In lib. Regum homil. 1.	In librum Iob libri	3°
In Psalm. 36. 37. & 38. homil.		9°
In Cantica canticorum homil.		6°
In Isaiam homil. 9.	In Hieremiam homil.	14°
In Ezechielem homil.		14°
Periarchon, id est, de principiis lib.		4°
Threni, siue planctus Origenis tract.		1°
De recta in Deum fide Dialogus.		
Commentaria in Iob, Ioachimo Perionio interprete.		
In eundem homil. 4.		

Secundi homi.

In Matthæum tractatus, 35.	In Lucam hom.	39°
In Ioannem tractatus,		32°
In diuersos locos noui testamenti hom.		10°
In epist. ad Rom. l. 36. Contra Celsum lib.		8°
Contra Marcionistas Dialogi.		
Philocalia, siue de amore honesti.		
De Susannæ historia Epitome.		
De eadem historia Iulii Africani epistola, & ad eandem Origenis responsio.		

His addi possunt Tetrapla, Exapla, & Octapla Origenis labore contexta. Tetrapla sunt quatuor editiones testamenti veteris. 70. Interpretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis. Exapla sunt quatuor illæ adiunctis duabus Hebraicis, altera literis Hebraicis, altera literis Græcis. Octapla sunt, editiones sex supradictæ, adiunctis duabus sine nomine auctoris, quinta, & sexta: addidit ipse Origenes septimam editionem ex versione 70. Interpretum emendata, & cum Theodotionis versione collata.

ra, additis asteriscis, & obeliscis. Vide de his editionibus Epiphanium in libro de ponderibus, & mensuris.

Opera dubia, vel supposititia.

HOmiliae in Leuiticum habentur etiam inter libros S. Cyrilli; sed vere Origenis sunt, non S. Cyrilli: nam & phrasim Origenis seruant, & erroribus eiusdem sca-
rent.

Libri tres in Iob, non videntur esse Origenis: nam lib. 1. meminit auctor Homousianorum, quam dicit esse sectam trium Deorum, quae totum orbem repleuit. At nomen Homousianorum inuentum est ab Arianis, qui post obitum Origenis apparuerunt. Deinde libro 2. meminit auctor sancti Luciani iam tum martyrio affecti. At sanctus Lucianus posterior Origine fuit.

Commentaria quoque in Iob, Perionio interprete, non videntur esse Origenis: nam in explanatione cap. 3. adfert expositionem sancti Luciani Martyris; item in explanatione cap. 7. & 8. refellit Manichaeos nominatim: & in cap. 18. meminit Homousianistarum. At Manichaei & Ariani, qui Catholicos Homousianistas vocabant, post Origenem exorti sunt.

De Homiliis in Psalmos aliqui dubitant, an sint Origenis.

Homiliae in diuersa loca Euangelii, sine dubio non sunt omnes Origenis.

In Homilia in caput Ioannis mentio fit Manichaeorum, & Arianorum, qui post Origenem exorti sunt.

In Homilia nona in diuersa loca, inueniuntur fragmenta ex sancto Hieronymo in vltimum caput Isaiae Prophetae, & ex sancto Gregorio lib. 15. Moralium, c. 14. & ex aliis Origine posterioribus; & ea fragmenta Hieronymi, & Gregorii, non Origenis esse stylus manifeste docet.

In Homilia de S. Maria Magdalena, super illud, Maria stabat ad monumentum foris plorans, stylus est plane Latinus.

Tractatus quintus in Matthaeum videtur esse Latini aucto-

auctoris : nam adducens auctor verba Isaiaë 48. Dominus misit me , & spiritus eius ; in Græco, inquit, Spiritus sanctus neutri generis est, nō masculini, vt apud nos. Vbi se inter Latinos numerat. Et si tractatus quintus Latini auctoris est , non parua suspicio est, reliquos etiam tractatus eiusdem operis, Latini auctoris esse. Atque hæc pauca de Origene.

De Ammonio Alexandrino. 226.

Ammonius Alexandrinus tempore Alexandri Imper. vixit, & scripsit canones euangelicos, quos alii harmoniam euangelicam vocant: quam Victor Capuanus cum Tatiani diatessaron confudisse videtur. Vide in Bibliotheca sanctorum Patrum tomum 7. editionis secundæ, & Card. Baronium tom. 2. Annalium ad annum Dom. 174.

De S. Gregorio Thaumaturgo. 233.

Sanctus Gregorius antea Theodorus dictus, Episcopus fuit Neocæsariensis, & à magnitudine miraculorum patratorum Thaumaturgus appellatus, auditor fuit Origenis, dum esset adolescens, sed ab erroribus eius omnino immunis fuit. Claruit tempore Alexandri Seueri, cuius an 10. factum Episcopum scribit Car. Baronius in secundo tomo Annalium, ad ann. 233.

Scripsit Metaphrasim in Ecclesiastem.

Panegyricum in Origenem.

Breuem fidei confessionem, quam ex reuelatione B. Iohannis Apostoli didicit.

Expositionem fidei aduersus Elianum.

Et Epistolam Canonicam.

His nuper adiunxit Gerardus Vossius duodecim sententias cum anathematismis: Qui exstant Græce, & Latine apud Henricum Canisium tomo tertio antiquæ lectionis.

Tres sermones eiusdem sancti Gregorii de Annuntiatione B. Virginis.

Item Sermonem de Baptismo Christi, siue de Theophania Domini: denique disputationem de Anima ad Tatianum.

Et quidem de metaphrafi nullum est dubium. Eius enim testatur sanctus Hieronymus tum in libro de Scriptor. Eccles. tum in Commentario ad cap. 4. Ecclesiastæ. Ruffinus etiam meminit l. 7. hist. Eusebii c. 25. & falluntur, qui eam tribuunt Gregorio Nazianzeno.

De Panegyrico quoque in Origenem res notissima est. Scripsit enim illum adolescens, & coram ingenti multitudine, ipso etiam Origene audiente, recitauit, teste S. Hieronymo de Scriptor. Eccles. & hoc tempore in lucem prodiit auctore Gerardo Vossio hunc ipsam Panegyricum Græce, & Latine.

Non minus certum est didicisse sanctum Gregorium confessionem fidei à beato Ioanne Euangelista sibi cum ipsa sanctissima Virgine Deipara apparente, cuius rei meminit Gregorius Nyssenus in vita Gregorii Thaumaturgi: & eam ipsam fidei confessionem ab eodem Gregorio scriptam, totidem verbis referunt idem Gregorius Nyssenus, & alii.

Denique extra Controuersiam est epistola canonica, quam etiam Balsamon Commentariis illustrauit.

Expositionem fidei, quam sanctus Gregorius scripsit, existimat Gerardus Vossius se inuenisse, & edidisse: sed fortasse fallitur: nam expositio illa fidei, cuius meminit sanctus Basilius in epist. 64. ad Neocæsarienses, quæ uere à Gregorio Thaumaturgo scripta fuerat aduersus Elianum, multum differt ab ista, quæ nunc extrat apud Vossium. In illa enim habebatur, Patrem & filium hypostasi esse unum, & sola animi cogitatione distingui: unde suspicio orta erat, à Gregorio foueri hæresim Sabellii: & sanctus Basilius laborat, ut sanctum Gregorium à Sabellianissimi suspitione defendat. Sed uidetur sanctus Gregorius per hypostasim intelligere uoluisse substantiam, siue essentiam, nam de uoce hypostasis differens sanctus Hieronymus in Epistola ad Damasum dicit, totam secularium literarum scholam nihil aliud per hypostasim, nisi u-

ham

Nam nosse. At expositio fidei, quam Vossius edidit, Sabellium nominatim refutat, neque vnquam dicit, Patrem & filium hypostasi esse vnū, & sola rationis cogitatione distingui, sed contra dicit, Patrem & filium natura diuinitatis esse vnū, & vnāquamque personam per se subsistere & aliam esse hypostasim Patris, aliam filii, &c. Præterea expositio fidei Vossiana videtur omnino scripta contra Arianos, ac per hoc satis diu post tempora S. Gregorii Thaumaturgi: sic enim incipit, Inimicissimi, & alieni a confessione Apostolica sunt, qui dicunt, esse filium ex non extantibus, &c. & infra, Eos vero, qui communicant cum iis, qui reiciunt homouision, tanquam alienum a scripturis, & qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum esse, alienos existimamus.

Constat autem Arianos fuisse, qui dicebant, filium esse ex non extantibus & qui reiciebant vocem, homouision, tanquam alienam a scripturis. Quin etiam ita disputat hic auctor de Incarnatione, vt videatur refellere Nestorianos, & Eutychanos.

Eadem censura addi potest ad duodecim capitula cum anathematismis, quæ Gerardus Vossius sancto Gregorio tribuit. Videntur enim illa capitula quasi appendix quædam ad expositionem fidei adiuncta: ac præcipue Nestorii & Eutychetis erroribus opponuntur: qui hæretici longe post obitum S. Gregorii exorti sunt.

De sermonibus in Annunciationem, & Theophaniam Dominicam, vt etiam de libello De anima ad Tatianum, nihil certi habeo, cum nec veteres horum operum meminerunt; neque tamen conuinci possit, eos esse suppositios.

De S. Cornelio Papa. 254.

SANCTUS Cornelius Papa tempore Decii sedit, & scripsit insignes epistolas, quarum meminit sanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. è quibus extat solum epistola ad Fabium, siue Flavianum Antiochenum Episcopum, sed non integra, apud Eusebium libr. 6. histor. capit. 35. & alia breuis ad Lupicinum, tomo 1. Bibliothecæ san-

sanctorum Patrum: & aliæ duæ inter epistolas sancti Cypriani.

De S. Sixto Secundo.

Sixtus Secundus Pontifex, & martyr dicitur scripsisse librum sententiarum, siue prouerbiorum, qui citatur à sancto Augustino lib. De natura, & gratia, cap. 64. & extat in tomo 5. Bibliothecæ sanctorum Patrum edit. 2.

Cæterum liber ille falso tribuitur sancto Sixto martyri, cum sit Sixti philosophi ethnici, vt sanctus Hieronymus demonstrat in epistola ad Ctesiphontem; & in cap. 22. Hieremiæ, & in cap. 18. Ezechielis: & sanctus Augustinus lib. 2. Retractationum, cap. 42. retractat locum citatum ex libro de natura & gratia. Denique Gelasius in Concilia 70. Episcoporum reprobat librum prouerbiorum sub nomine sancti Sixti ab hæreticis conscriptum: dicit autem ab hæreticis conscriptum, quia Rufinus eum librum plenum erroribus conuertit ex Græco, & sancto Sixto attribuit.

De sancto Cypriano. 250.

Sanctus Cyprianus vir eloquentissimus, & sanctissimus sub Valeriano, & Galliëno martyrium passus est, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Eccles. sed in Episcopum promotus fuit temporibus Fabiani Papæ, & Philippi Imp. proinde sedit temporibus Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, & Sixti Pontificum Romanorum. Opera eius multa extant, sed non omnia indubitata: primo igitur catalogum texemus operum indubitatorum.

Opera sancti Cypriani, indubitata.

Epistolarum libri quatuor, quas Pamelius ordine temporum digessit, & sunt numero 83.

De habitu Virginum, tractatus vnus.

De lapsis, 1.

De simplicitate Prælatorum, siue de vnitare Ecclesiæ, 1.

Deo-

De oratione Dominica, 1.
Contra Demetrianum, 1.
De Idolorum vanitate, 1.
De mortalitate, 1. De Eleemosyna, 1.
De bono patientiæ. De zelo, & liuore, 1.
De exhortatione Martyrii, 1.
Ad Quirinum contra Iudæos, libri tres.
Ad Iubaianum de baptizandis hæreticis, 1.
Ad Pompeium contra epistolam Stephani Papæ, 1.
Hos tamen duos libros Pamelius inter epistolas con-
iecit, & sunt epistolæ 73. & 74.
Sententiarum ex Concilio Carthagenensi de hæreticis
baptizandis, 1.

Opera supposititia, vel dubia.

De monte Sina, & Sion, tractatus vnus.
De reuelatione capitis sancti Ioan. Baptistæ.
Expositio symboli.
De singularitate Clericorum.
De operibus Cardinalibus Christi, serm. 12.
De laude Martyrii.
De disciplina, & bono pudicitia.
Ad Nouatianum de spe veniæ lapsis non neganda.
De duplici martyrio. De aleatoribus.
De cænæ dispositione.
De duodecim abusionibus seculi.
De spectaculis.
De Iudaica incredulitate ad Vigilium.
De Iudæis, qui insecuti sunt Christum.
Carmen, Genesis. Carmen, Sodoma.
Carmen ad Apostatam Senatorem.
Hymnus de Pascha.
Oratio pro Martyribus, quæ incipit, Agios.
Oratio altera, quæ incipit, Domine sancte Pater.
Tractatus de monte Sina, & Sion non habet stylum
sancti Cypriani.
Tractatus de reuelatione capitis sancti Ioannis Bapti-
stæ,

stæ, non est sancti Cypriani, sed auctoris multo recentioris, qui in hoc ipso opere mentionem facit sanctorum Athanasii, & Cyrilli; item Theodosii Imp. & Pipini Regis Francorum: & ipsa reuelatio capitis sancti Ioannis Baptistæ contigit sub Theodosio, vt Nicephorus testatur l. . . c. 49. Itaque reuelatio de qua hic agitur facta est annis plus centum post obitum sancti Cypriani.

Expositio Symboli, non est sancti Cypriani, sed Rufini: nomine Rufini habetur inter opera sancti Hieronymi: & testatur Gëadius in libro de viris illustribus, Rufinum in explicatione Symboli excelluisse: denique stylus est Rufini, non sancti Cypriani.

Tractatus de singularitate Clericorum, vbi prohibetur Clericis cohabitatio fœminarum, insignis & utilis est, & antiqui sine dubio auctoris: nonnullis videtur esse potius Origenis, quam Cypriani, sed tamen stylus aperte reclamatur: & Latinum authorem non Græcum esse clamat. Idem etiam stylus satis diuersus est à stylo sancti Cypriani, & verba multa parum latina admiscet, quæ in Cypriano non inueniuntur, qualia sunt, inordinalitet, contubernalitas, mulcedo, passibilitas, & alia.

Sermones de operibus Cardinalibus Christi eruditi, & antiqui auctoris sunt, sed non videntur esse Cypriani. Primum enim stylus multo humilior est, quam sancti Cypriani esse soleat. Deinde in sermone de tentatione & ieiunio, docet hic auctor, Diabolum cecidisse de cælo ante hominis creationem: cuius sententiæ contrarium habet sanctus Cyprianus in tractatu de zelo, & liuore. Denique in præfatione sic alloquitur sanctum Cornelium Papam, Quia, inquit, solent aliquando Patres nugis infantilibus arridere, & linguis balbutientibus delectari, indulgentiam meretur humilitas, quæ quo potest accessu sublimitatis vestræ manibus se porrigit atrectandam: hæc ille. At S. Cyprianus semper Cornelium fratrem, & collegam appellabat: nec ignorabat, se non minus doctum, & discretum, quam Cornelius esset; & cum præterea Episcopus ante Cornelium ordinatus fuisset, & in Ecclesia vniuersa mirifice clareret; nunquam profecto scripta sua nugos

fantiles appellaret: neque diceret, sublimitatem Cornelii
 lingua balbutienti Cypriani oblectari debere.

Libellus de laude martyrii ideo positus est inter opera
 Cypriani dubia, quoniam Erasmus dubitauit ob ali-
 quam styli dissimilitudinem. Sed communiter admitti-
 tur inter vera opera sancti Cypriani, præsertim cum Mo-
 ses, & Maximus, ad quos liber iste scribitur, in epistola
 ad Cyprianum, quæ est 26. inter epistolas sancti Cypria-
 ni, huius ipsius libri mentionem faciant: neque stylus
 dissidet ab aliis operibus, nisi quod est magis elabora-
 tus, quam aliqua alia eiusdem opera, sed non magis,
 quam omnia. Siquidem epistola secunda, quæ est ad
 Donatum, non cedit huic libello; & tamen illa epistola
 est, hic vero liber similis orationi in genere demonstra-
 tiuo.

Liber de disciplina, & bono pudicitia; & liber ad No-
 uitianum de spe venia; danda lapsis; sancti Cypriani mihi
 esse videtur; quicquid Erasmus dicat, qui nimis subtiliter
 de styli dissimilitudine aliquando iudicat.

Liber de duplici Martyrio, sancti Cypriani esse non po-
 test, cum auctor mentionem faciat Diocletiani, & Maxi-
 miani Imperatorum, qui nondum imperare cœperant,
 cum S. Cyprianus martyrium pateretur: ac vt magis mi-
 remur qua fronte eiusmodi libri sub Cypriani nomine e-
 dantur, meminit hic idem auctor belli Cæsarei contra
 Turcas.

Liber de aleatoribus vtilis & doctus est; sed non vide-
 tur esse Cypriani, cum in principio satis aperte significet
 auctor, se vniuersali Ecclesiæ præsidere, & Apostolatū ge-
 rere super quem Christus fundauit Ecclesiam, & Christi-
 vicariam sedem obtinere, & sibi traditas esse clauis ligan-
 di, & soluendi. &c. Itaq; videtur libellus esse alicuius Ro-
 mani Pontificis, qui S. Cypriani scriptiones imitatur,
 quamuis styli eius elegantiam non assequatur.

Liber de cœnæ dispositione non solum Cypriani non
 est, verum neque alicuius docti hominis est. Fortasse au-
 ctor eius Cyprianus dicebatur, sed longe diuersus ab illo,
 de quo nunc agimus: nam neque verba, neque sententias
 habet

habet homine docto dignas; sed ineptas, & ridiculas narrationes, & fabellas.

Liber de duodecim abusionibus seculi S. Cypriani esse non potest, cū passim citet scripturas ex versione S. Hieronymi: qua ratione neque S. Augustini erit, quamuis inter eius etiam opera feratur.

Liber de spectaculis egregius est, & ad imitationem libri Tertulliani de eodem argumento conscriptus. Ratio dubitandi sitne Cypriani, an non, sola styli diuersitas esse videntur.

Liber de incredulitate Iudaica ad Vigilium, nihil est aliud, nisi versio in Latinā linguam dialogi Græci inter Iasonem Christianum, & Papiscum Hebræum: qui Græcus dialogus antiquissimus est, cum eius meminerit Origenes lib. 4. contra Celsum. Auctor autem Latinæ versionis non Cyprianus, sed Celsus dicitur, vt perspicuum est ex vltimis verbis libri.

Liber de Iudæis, qui insecuti sunt Christum, sancti Cypriani non esse videtur ob nimis magnam styli diuersitatem.

De Carminibus & orationibus nihil certi habeo: nam neque habemus veterum testimonia, vnde probemus opera ista esse Cypriani: neque habemus argumenta, vnde probemus non esse, opera sunt grauia, & docta, & S. Cypriano digna.

De S. Pontio Diacono. 250.

Sanctus Pontius Diaconus sancti Cypriani, scripsit in sine volumen de vita, & passione sancti Cypriani, teste sancto Hieronymo de scriptor. Eccles. Id volumen extat ad initium S. Cypriani in editione Iacobi Pamelii.

De S. Dionysio Alexandrino. 250.

Sanctus Dionysius Alexandrinus Episcopus æqualis fuit sancti Cypriani, sed paulo prior in Episcopatu, & paulo posterior in morte: & scripsit libros, & epistolas multas, teste sancto Hieronymo de scriptor. Eccles.

cles. Extat nunc epistola vna satis breuis inter canones Ecclesiasticos Græcorum cum annotationibus Balsamonis. Extat epistola insignis contra Paulum Samosatenum Romæ edita græce, & latine ab. 1608. Extant etiam multa, & magna fragmenta operum huius Dionysii apud Eusebium lib. 6. hist. ca. 33. & sequentibus vsque ad finem libri, & li. 7. ca. 1. & sequentibus vsque ad 21. Extant denique alia fragmenta apud Athanasium in libro de sententia Dionysii Alexandrini, & in lib. de sententia Nicænæ Synodi. Neque de his vlla controuersa est.

De sancto Zenone Episcopo, & Martyre. 260.

Ecclēsia Veronensis sanctum Zenonem Episcopum veneratur, quem sub Gallieno Imperatore passum esse prædicat, & eius sermones permultos nuper edidit. Huius Zenonis Episcopi, & martyris nulla fit mentio apud Eusebium in hist. neque apud sanctum Hieronymum in libro de Scriptor. Eccles.

Primus est sanctus Gregorius, qui sanctum Zenonem Episcopum Veronæ Martyrem nominat, lib. 3. Dialogorum, cap. 19. sed de operibus eius mentionem nullam facit. Extant sub nomine eius sermones editi Veronæ anno 1586.

- De Genesi sermones 4. De Abraham. 3.
- De Somnio Iacob, 1. De Iuda Patriarcha. 1.
- De Exodo, 15. De Præcepto, Attende tibi, 1.
- De Iob, 1. De Psalmis, 9.
- De Isaia, 6. De Martyrio Isaia, 1.
- De Daniele, 9. De Iona, 1.
- De Euangelio secundum Lucam, 1.
- De Euangelio secundum Ioannem, 1.
- De Epistola ad Corinthios, 1.
- De Æterna filii generatione, 3.
- De Aduentu Christi, 1.
- De Natiuitate Christi, 3.
- De Circumcisione, 1. De Fide, 1.
- De Fide, Spe, & Charitate, 1.

E

De Fi-

De Fidei veritate, 1. De Pascha, 9.
 Inuitatio ad fontem, 8. Ad Neophytos, 7.
 De spirituali ædificatione, 1.
 De Patientia, 1. De Pudicitia, 1.
 De Continentia, 1. De Iustitia, 1.
 De Timore, 1. De Ieiunio, 1.
 De Spiritu, & corpore, 1. De Auaritia, 3.
 De Liuore, & Inuidia, 1.
 De S. Archadio, 1. De Resurrectione, 1.

Ex his sermo in illud, Attende tibi; & sermo in Euangelium Lucae, & sermo de ieiunio, & sermo de liuore, & inuidia, nō sunt S. Zenonis, sed S. Basilii Magni, vt notum est tum ex stylo, tum ex communi sententia. Item sermones in Psalmos, si non omnes, certe maiore ex parte apud Hilarium inueniuntur.

De aliis non habeo, quod dicam, nisi aliquos esse breuissimos, vt sermones dici non mereantur; aliquos esse repetitiones aliorum; aliquos ita obscuros, vt intelligi nequeāt; & quod me male habet, de his sermonibus nullam extare apud veteres mentionem. Primus enim, qui eos inuenit, Guarinus fuit Veronensis Orator, ante annos circiter centum: editi sunt autem Venetiis anno 1508. & postea emendatius, & pulchrioribus characteribus Veronæ anno 1586. consulat Lector Card. Baronium in notis Martyrologii.

De S. Victorino Pictabionense. 270.

SANCTUS Victorinus Pictabionensis Episcopus, & Martyr, multa opera scripsit, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Eccles. Nunc solum extat Commentarius in Apocalypsim, & de hoc ipso dubium est, an sit Victorini opus. Scribit eim sanctus Hieronymus in epistola præfixa Commentario Victorini in Apocalypsim, Victorinum in isto suo Commentario securum esse errorem Chiliastarum, quod etiam scripsit in libro de Script. Eccles. in Papia: qua de causa Gelasius Papa, Victorini opera inter apocrypha numerauit. At Commentarium, quod nunc extat sub nomine Victorini, non solum hoc

errore caret, sed contra hunc errorem etiam pugnat. Hic beatus vir sub Diocletiano martyrium passus est anno Dom. 303.

De sancto Methodio Episcopo, & Martyre. 285.

Sanctus Methodius Episcopus Tyri claruit tempore Diocletiani Imperatoris & anno eius 10. martyrio coronatus est, ex Hieronymo de Script. Eccles. Is multa scripsit, sed nunc solum extant fragmenta satis magna ex libr. eius de resurrectione aduersus Origenem, apud Epiphanium hæresi 64. Extant etiam alia fragmenta apud Photium in bibliotheca. Circumfertur libellus reuelationum sub nomine S. Methodii, sed supposititius censetur.

De Dorotheo Tyrensi.

Dorotheus Tyrensis dicitur tempore Diocletiani exilium passus, & scripsisse Synopsim de vita Prophetarum, & discipulorum Christi: quæ Synopsis extat in bibliotheca sanctorum Patrum, & frequenter citatur. Ad huius Dorothei nullam mentionem inueni apud Eusebium, S. Hieronymum, vel Gennadium, aut etiam Ioan. Trithemium, qui scripserunt de viris illustribus.

Ipsa vero Synopsis plena est fabulis: cõsulat lector, quæ iste auctor scribit in vita Abdiæ, Ionæ, Isaïæ, Hieremiæ, & Elisæi. Præterea cõsulat, quæ scribit in vita Iacobi Alphæi, & Clementis: & in summa sciat, ab isto numerari inter 72. discipulos Christi, omnes, qui ab Apostolo Paulo nominantur, etiam si Ethnici fuerint, vel fœminæ: & illos omnes non solum discipulos Domini, sed etiam Episcopos facere. Non meminisse libri tam fabulosi, nisi vidissem à multis citari, & non minimi fieri.

De Arnobio. 285.

Arnobius sub Imperatore Diocletiano floruit, teste sancto Hieronymo de Scriptor. Eccles. ac ut pro-

baret; se vere factum esse ex pagano Christianum, scripsit libros septem contra gentes: nam octauus, qui illi operi adiunctus est, non est liber octauus Arnobii sed Octauius Felicis Minutii, de quo supra dictum est. Feruntur etiam sub nomine Arnobii Commentaria breuia in Psalmos. Sed ea non videntur esse huius Arnobii, sed alterius recentioris: nam in explicatione Psalm. 108. refellit hic auctor hæresim prædestinatorum, quæ tempore S. Augustini, vel postea exorta est: & in explicatione Psalm. 109. nominatim refellit Photinū hæresis Ebionitarum instauratorem. At Photinus tempore Valentini Imperatoris vixit, teste S. Hieronymo de Script. Eccl. quo tempore Arnobius superstes esse non poterat. Fuit enim Arnobius præceptor Lactantii, Lactantius autem in extrema senectute vocatus est à Constantino Magno, ut Crispum filium erudiret, teste S. Hieronymo de Scri. Ecc. in Lactantio. Quamuis autem Commentaria in Psalmos nō sint illius Arnobii, qui circa initia Principatus Diocletiani florebat: sunt tamen auctoris alicuius veteris, qui etiam Arnobius dicebatur, ut constat ex Commentariis Bedæ in Psalmos, in quibus explicatio Arnobii non semel adducitur. Vide infra in verbo Arnobius iunior. Feruntur etiam annotatiunculæ in varios locos Euangelii: sed parui momenti, neque certum est, an sint Arnobii.

De Lactantio Firmiano. 290.

Lactantius Firmianus, Arnobii auditor, floruit sub Diocletiano, & ad Principatum Constantini Magni in senectute peruenit, teste S. Hieronymo in lib. de Script. Eccl. vbi multa eius opera recenset, quæ non extant: quæ autem extant hæc sunt:

Diuiinarum Institutionum lib. 7.

De Ira Dei, 1.

De Opificio Dei, 1.

Epitome in libros suos.

Carmen de Phœnice.

Aliud de Passione Domini.

Tertium de resurrectione eiusdem, & de Paschate.

Et

Et quidem opera omnia, exceptis carminibus, sine cō-
trouersia Lactantii sunt: & quemadmodum ad eloquen-
tiam Tullianam proxime accedunt, ita erroribus variis
sic deformata sunt, vt non sine causa Gelasius Papa in Cō-
cilio Romano apocrypha censi voluerit.

Carmen de Phænice Echnici hominis esse videtur.

Carmen de resurrectione, & de Paschate, vt etiam de
Passione, ambiguum est, an Lactantii sint, quia nonnulli
negant illius esse: & tamen non habemus certum argu-
mentum, vnde probetur illius non esse.

Seculum Quartum ab Anno 300. ad 400.

De Constantino Magno Imperatore. 306.

Constantinus sanctæ Helenæ filius, Imperat. maxi-
mus, & felicissimus, quamuis occupatissimus in Im-
perio Orbis terræ gubernando, quod suscepit anno Do-
mini 306. & tenuit vsque ad 337. scripsit tamen multas
latinas orationes, earumque magnam partem recitauit,
Eusebio teste lib. 4. de vita Constantini cap. 29. Vna tan-
tum nunc superest, scripta ad sanctorum cōtum: cuius
meminit idem Eusebius lib. 4. cap. 32. de vita Constanti-
ni, atq; eadem excuti solet post ipsos libros de vita Con-
stantini. Oratio sane pulchra, & luculenta de Christi ad-
uentu, & diuinitate; vbi etiam cap. 18. inseruntur carmina
Sibyllæ Erithrææ, quarum literæ capitales reddunt hanc
sententiam, I E S V S Christus, Dei filius, seruator,
Cruz. Scripsit etiam idem Imperator epistolas multas,
quarum aliquæ extant tum in histor. Eusebii, tum in li-
bris de vita Constantini. Sed epistolæ possent forrasse tri-
bui Secretariis, sed orationes ipsius Constantini pro-
priolabore, & studio scribeban-
tur, vt diximus.

